



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 2. Vocationis divinæ efficacitæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## TITULUS XVII. VOCATIO DIVINA.

§. I.

### Vocationes variae.

**V**eni de Libano sponsa mea veni &c. Cant. 4. 8. Ter dicitur, veni. Venit enim sponsa ad Christum; dum in hoc Mundo vivens bona, quae potest, operatur. Venit, quando in hora mortis anima, ipsa videlicet sponsa, è carne exiit. Venit tertio, quando in die Judicij ultimi carnem resumit, & cum Christo thalamum caelestem ingreditur. S. Gregorius hic.

*Exiit - conducere operarios in vineam suam.* Matth. 20. 1. Quidam à pueritia ad operandum opera regni Dei accedunt: & ipsi sunt, qui primò manè conducuntur ad vineam. Alij autem in adolescentia veniunt ad Dei culturam: & sunt ipsi, qui horà tertià invitantur. Alij verò viri perfecti: & ipsi sunt, qui in sexta vocantur. Alij autem jam senes adducuntur ad Dei culturam; & ipsi circa nonam vocantur. Alij autem in ipso exitu senes ad plenum: & ipsi sunt, qui circa undecimam vocantur. Origenes tr. 10. hic. Quia ad vitam bonam alius in pueritia, alius in adolescentia, alius in juventute, alius in senectute, alius in decrepita aetate, perducitur; quasi diversis horis operarij ad vineam vocantur. S. Gregorius hom. 19. in Evang. hic.

*Et vidit duas naves stantes secus stagnum &c.* Luc. 5. 2. Admirare Domini dispensationem, quomodo per propria & familiaria sua, quemque attrahit: sicut magos per stellam; ita & piscatores per pisces. Theophylactus hic.

§. II.

### Vocationis divinae efficacia.

**E**Mittet verbum suum, & liquefaciet ea. Ps. 147. 18. Ecce venit illud crystallum Saulus post eadem, & lapidationem Stephani: duritià quãdam stupidus in Christum, petijt literas à Sacerdotibus, ut undique exhiberet Christianos, anhelans eadem. Durus est iste, & gelidus, contra ignem Dei. Sed, quanquam esset durus, quanquam gelidus; ecce ille, qui *emittit verbum suum &c.* clamavit de coelo fervidus: *Saule! Saule! quid me persequeris?* Unà illà voce tanta illa duritià crystalli resoluta est. Act. 9. 4. S. August. hic. Non sunt omnia verba Augustini, sed sensus.

*In funiculis Adam traham eos.* Of. 11. 4. Quando quis invitat alium ad prandium, vellet fortè, ut non veniret. Sed Deus non ita; imò vim infert, ut secum maneamus: & invitat nos usque ad vestium lacerationem; & trahit per subtractionem temporalium, & morbos. Manassin adversitas convertit, 2. Pa-

ral. 33. 12. Prodigum fames revocavit. Luc. 15. 17. 18. Paulum cœcitas. Act. 9. 9. Gemiani l. 9. c. 84.

*Prodiit - ligatus pedes, & manus, insistis.* Joan. 11. 44. Opportunè Evangelista hoc perscripsit: quia videlicet consequitur, in illius vocantis voce vim facillimam exitisse; quæ illum pariter & vivificavit, & de monumento expulit. Qui, cum esset ligatus manus, & pedes, insistis; nec pedibus, nec manibus prorumpere potuit. Rupertus l. 13. de victoria Verb. c. 18.

§. III.

### Vocationi divinae obtemperandum.

**ET** cucurrit ad Heli. 1. Reg. 3. 5. Semel loquitur Deus; & idipsum secundò non repetit. Job. 33. 14. Quia divinae vocis Majestas tanta est; ut timendum sit, nè, si ejus aures aliquando præterlabatur, nunquam amplius iteretur: vel saltem, nè, qui priorem Dei vocem misericorditer vocantem non audit, audiat posteriorem terribiliter minantem: ut contigit Nabuchodonosori; quem divina revelationis contemptorem divina comminatio perterruit. Dan. 4. 28. Ad primam igitur vocem Samuel obedijt; nè aut secunda voce indignus esset; aut pro vocatione minas audiret. Mendoza hic.

*Vocabis me, & ego respondebo tibi.* Job. 14. 15. Vocat Deus per gratiam visitantem; & respondebit homo per mandatorum implementationem. Rich. à S. Vict. append. in Cant. 6. Vocare Dei, est, nos amando, & eligendo, respicere. Respondere autem nostrum est, amori illius bonis operibus parcere. S. Greg. mor. l. 11. c. 14.

*Vocavi, per Prædicatores; & renuisti; extendi manum meam, per bonorum largitionem; & non fuit, qui assiceret. Despexistis omne consilium meum, per internam inspirationem; & increpationes meas neglexistis, vobis factas per flagellationes. Ego quoq; in interitu vestro ridebo &c.* S. Bonaventura f. 37. D. Septuag. Prov. 1. 24.

*Pessulum ostij mei aperui Dilecto meo.* Cant. 5. 6. Pessulum aperimus; quando, remotis voluptatibus fluxis, cor nostrum in amorem Christi, quod priùs durum fuerat, solvimus: & sponso pulsanti ad ostium, introitum liberum facimus. S. Gregor. hic.

*Ut fugeret à facie Domini.* Joan. 1. 3. Disce: eum, qui fugit à facie Dei vocantis, & blandientis, incidere in faciem Dei indignantis, & ulciscantis. Ità Jonas, fugiens Deum vocantem, incidit in cetum devorantem. Cornelius hic.

Vidimus